6899
Lane Medical Library
1859

QUAESTIONES
DE CONTAGIOSITATE SYPHILIDIS SECUNDARIAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXI. MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCLIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS MEURER

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

M. HESSBERG, DR. MED.

EMIL FISCHER, CAND. MED.

G. GYGAS, CAND. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

PRAEFATIO.

Uti syphilis in omnes orbis partes est translata ac propagata, ita de syphilide scripta sunt permulta ac paene innumerabilia, at quo major librorum multitudo, eo major autorum inter se discrepantia. Ita nostra aetate, postquam Ricord primus experimentum ad dignoscendam syphilidem adhibuit, diu ac summo studio imprimis de origine syphilidis secundariae ejusque contagiositate certatum esse, nunc autem neutra parte devicta remissam certaminis contentionem esse videmus. Quoniam autem mihi contigit interesse experimentis ab Ill. P o h l i o in nosocomio Gryphiswaldensi ad illam quaestionem solvendam institutis,

animum induxi de hac re dissertationem scribere; non tam ut multum novi ipse proferam, quam ut, quae adhuc inventa ac statuta sint, colligam ac componam.

Denique facere non possum, quin Ill. Pohl, qui consiliis et libris suis maxima humanitate atque benignitate me adjuverit, gratias agam quam maximas, cujus memoria apud omnes, qui Gryphiae ejus scholis interfuere erit sempiterna.

Literatura.

Ricord, Traité pratique des mal vén. etc. Paris 1838.

Hunter, Traité de la Syphilis, traduit de l'Anglais par Richelot, avec des notes par Ricord. Paris 1845 et 1852.

Lippert, die Pathologie und Therapie der ven. Krankheiten nach Ricords neuesten Vorträgen. Hamburg 1846 und 1852.

Ricord, Briefe über Syphilis.

F. A. Simon, Antwortsschreiben auf Ricords Briefe über Syphilis. Hamburg 1851 und 1852.

Derselbe, Ricords Lehre von der Syphilis etc. Hamburg 1852.

Derselbe, Virchow's Pathologie 2. Band I. Abtheil. Artikel Syphilis. Erlangen 1855.

Vidal (de Cassis) Traité des mal. vén. avec planches. Paris 1853.

Waller, die Contagiosität der secundairen Syphilis. Prager Vierteljahresschrift 1. Band.

Waller, Weitere Beiträge etc. daselbst Band 3.

Wunderlich, Handbuch der Pathologie und Therapie 2r Band. I. Abtheilung.

Suchanek, der secundair syphilitische Prozess etc. Prager Vierteljahresschrift Band III.

Sigmund, die Klinik und Abtheilung für Syphilis im allgemeinen Krankenhause zu Wien 1851 u. 1852. Wiener Zeitschrift IX. 5.

v. Baerensprung, deutsche Klinik. 1852.

Boeck, Klinik der syphilitischen Krankheiten, Zeitschrift für klin. Medizin. VI. 2. 1855.

Canstatt, Jahresbericht 1851—1856.

Prager Vierteljahresschrift 1850—1856.

Annalen des Charitékrankenhauses zu Berlin. 1852—1856.

De origine et antiquitate syphilidis quamquam diversae sunt autorum sententiae, quum alii filiam antiquae leprae esse putent, (Simon) alii ex America ad nos translatam, alii in famosa illa occupatione Neapolis inter Francogallos ortam persuasum sibi habeant, hoc tamen constare videtur, sub finem saeculi XV luem veneream summa atrocitate ac violentia grassatam esse. Tum primum omnium oculi ad perniciosum illum morbum vertebantur, et homines perterriti, qui quotidie lue sibi ereptos conquerebantur omnes morbo affectos ab omni societate seclusserunt, praesertim cum morbum contagio quodam specifico sive viro animali ortam et propagatam putarent.

Quam sententiam primus Fernelius 1548 in medium protulit, qui idem primus syphilidem localem ac luem generalem s. secundariam distinxit. Virus autem illud quid ac quale sit, quum nullis neque chemicis neque microscopicis disquisitionibus cum olim tum nostris temporibus demonstrari potuerit, permulti et antiquiores et recentiores exstitere, qui virus omnino adesse negarent. Ita nostri saeculi initio Broussais et qui eum sequebantur, contagio omnino negato syphilidem nihil aliud nisi phlogosin quandam, remediis antiphlogisticis curandam censebant.

Qua de doctrina quid esset indicandum, ejus autores ipsi mox intelligebant; studiosi enim tres nimio incensi

studio quum pus ex ulcere syphilitico depromptum sibi inoculavissent, in duobus eorum ulcus exquisitum, in tertio bubo axillaris oriebatur, qui curam mercurialem gravissimam exigerent. — Ceterum vero et primariis et secundariis symptomatibus syphilidem propagari posse paene omnium erat per tria saecula opinio, qui non tam causas et originem quam curam morbi spectarent.

Postquam autem primus Ill. Hunter inoculationem ad dignoscendam syphilidem adhibuit, nostra aetate praecipue Ricord experimento instituto doctrinam de syphilide a vane excogitatis theoreticorum opinionibus liberavit. (Virchow appellat experimentum „die letzte und höchste Instanz der pathologischen Physiologie.“)

Jam uti auscultationem et percussionem ad dignoscendos morbos pulmonum et cordis, ita inoculationem in syphilide adhiberi posse permulti arbitrabantur: utriusque indagandi modi hoc erat commune, quod diagnosis morbi prorsus certis atque exploratis rebus firmabatur.

Itaque videmus omnes Ricordium secutos nec minus ejus adversarios scalpellum in manus mox sumpsisse, quo facto omnis de syphilide doctrina, ut defensores et adversarii inoculationis dicebant, in apicte scalpelli („auf die Spitze der Lanzette“) posita videbatur.

Quid autem hoc experimento aut probatum aut refutatum sit, alias inventa pustula alias non inventa, nequaquam tam facile dijudicari potest, quam quae auscultatione et percussione inveniuntur: hac enim quaerendi ratione omnia ad certam physices rationem exigimus, illa vero processus aut physiologicus aut pathologicus agitur, illa quaerendum et inveniendum est, quae sit

ratio inter ulcus syphiliticum primarium et inflammationem cutis syphiliticam, quae existit aut in homine adulto aut haereditate in infante.

In hoc experimento profecti ab ulcere primario, unde pus depromebatur, in duas partes summo studio inoculationem exercebant, alteri quidem nihil aliud agebant, nisi ut ipso ulcere syphilitico homines de illo malo liberarent: „Syphilisatores“ alteram vaccinam se invenisse opinabantur ita ut ipso ulceris pure inoculato homines a syphilide servarentur. Ita in nosocomio Taurinensi Sperino conabatur, aegrotas inoculationibus trecenties repetitis non modo a primario ulcere sed etiam a symptomatibus secundariis tueri: tum „syphilisatae“ dimittebantur quasi post hac tutae ab omni infectione.

Non est opus, hac de opinione amplius disputare; quis enim ignoret, illam nunc ab omnibus medicis improbari, eamque curandi rationem ab Academia medica Parisiensi esse condemnatam, quod neque prophylacticam neque curatiram vim haberet.

Alter inoculationis usus is erat, ut statueretur, utrum symptomata syphilidis, quae dicuntur secundaria essent contagiosa nec ne.

Qua de re summa contentione viros doctos ubique certasse minime mirum est, nullus enim est morbus, de cujus natura ac symptomatibus dijudicandis tantopere medici inter se discrepent: velut alii post gonorrhoeam quoque symptomata secundaria existere posse putant ulcere larvato non invento, alii condylomata lata primaria alii secundaria symptomata esse censent. Quum igitur diversae medicorum de hoc malo sententiae quasi funda-

mentis sustineantur diversis dijudicandi principiis apparet vix fieri posse, ut de ejus mali natura ac ratione inter eos unquam conveniat. Attamen intelligitur, vix ullum esse morbum, de quo inter se congruere medicorum judicia tantopere intersit generis humani, nam ipse morbus praeter ceteros non solum singulorum hominum, sed etiam familiarum pestis est dicenda!

Alterius harum factionum dux et antesignalus est Ricord, auctor et princeps novae de syphilide doctrinae. Is primus speculo in explorandis omnibus feminis aegrotis utebatur, is primus demonstravit, virus syphiliticum esse unum, idque valde diversum a secreto blennorrhagico, is imprimis symptomata syphilidis secundaria esse contagiosa negavit.

Omnia quae Ricord protulerat ac proposuerat tanto erant ingenii acumine tantaque sagacitate defensa, ut maxima medicorum pars ei plauderet; per aliquod tempus vix ullus Ricordii theses in dubium vocavit, Ricord ipse se syphilidis „reformatorem“ appellabat.

Attamen quum coepissent permulti omnia, quae a Ricordio erant inventa et probata, accuratius contemplari, eandemque perscutandi rationem, quam ille ipse primus adhibuerat, essent secuti, permulta affirmabant ab illo proposita ingeniose quidem esse inventa, at nullis factis certis fundata minimeque vera, saepius illum falso conclusisse ac debuisse perverse concludere, quia a falsis praemissis profectus esset. Quin etiam sicut ante Ricord ab omnibus fere erat laudatus ac gloria elatus ita nunc etiam exstitere, qui eum „roderent“, et „Pseudomessiam

Francogallorum“ (Simon) vel „französischen Windbeutel“ (Stromeyer) appellarent.

Primum Auzias Turenne probasse se contendit, syphilidem in animalia posse transferri, id quod Ricord ante negaverat, dein „syphilisatores“ eum valde impugnabant, denique experimentis permultis eodem fere tempore institutis, multi medici et francogalli (Vidal) et britanni (Wallace) et germani (Waller, Rienaecker) demonstrasse se affirmabant, secundaria syphilidis symptomata esse contagiosa.

Quibus de rebus quum ubique summo studio disputaretur, atque quum in Academia quoque Parisiensi diu ac vehementer esset certatum, Ricord, ut impetus undique ortos sepelleret totam suam doctrinam in 34 epistolis in Union médic. vulgatis composuit; nos quidem nunc ex his ea praecipue afferemus, quae ad nostram quaestionem pertinent.

Ricordii de syphilide constitutionali ejusque contagiositate doctrina*).

Simulac materia purulenta in sanguinem transiit, facultas ejus inficiendi est sublata. Syphilis secundaria intoxicatio est sanguinis, diathesis quaedam pathologica, quae, resorpto viro in sanguinem, oritur, at non in quovis homine, sed corpore tantummodo praedisposito.

Homine semel veneno syphilitico impleto altera non fit intoxicatio.

Lues secundaria plerumque sequitur ulcus induratum. Si quis lue constitutionali laborat, ulcus autem primarium

*) Cfr. Lippert etc.

neque a medico neque ab aegroto est inventum, censendum est, ulcus illud aut propter dolorum levitatem exiguasque molestias esse neglectum aut in urethra sedem habuisse suam.

Symptomata syphilidis secundaria et tertiaria nulla sequitur intoxicatio, syphilis quae dicitur „demblée“ nulla est.

Lues hereditaria tum praecipue exsistit, quum maternus sanguis est veneno corruptus.

Non semper ulcus primarium lues generalis sequitur, sunt enim et homines et status pathologici, qui intoxicationem generalem excludant.

Affectiones syphilidis primariae et secundariae non tam forma quam secreto inter se differunt: pus e primario ulcere depromptum quum corpori inoculatur, ulcus procreat, pus e secundario symptomate nihil efficit. Sin autem fit, ut ab infante nutrix aut a nutrice infans inficiatur, ulcus primarium in altero adfuisse necesse est, quod non venit in adspectum, aut nutrix et infans jam ante infecti nunc inter se accusant; nonne enim potest infans laborare lue hereditaria? Denique nutricem, quae ab infante se infectam deploret, alio modo morbum contrahere potuisse, quis est qui neget? nam et nutrices amatoribus gaudent.

Huc accedit, quod saepenumero quum aegrotus simul primariis et secundariis symptomatis laborat, secundario secreto inoculato nihil efficiebatur, primario ulcus oriebatur.

Quibus omnibus satis probatum ac firmatum Ricord censet, secretum symptomatum secundariorum non esse

contagiosum, ac qui contrarium invenerint non satis accurate observasse. —

Narratis nunc Ricordii de lue constitutionali principiis opus est transire ad ejus adversarios, qui eodem fere tempore exstitere.

Prae ceteris Waller Pragensis Ricordium impugnavit, qui quum multa alia tum factum saepius narrat, ut condylomata lata in homines transferrentur, qui ante nunquam primario ulcere laborassent; deinde a nutricibus infantes esse intoxicatos, parentibus integris natos, tum condylomata lata ab ano alterius fratris in eundem locum alterius esse translata, qui in eodem lecto versarentur. Denique Waller saepius se observasse affirmat, homines prius minime syphiliticos, quum coitum exercuerint cum eis, qui ante fortasse syphilide laboraverint, eo autem tempore nullum syphilidis symptoma in corpore habuerint, lue constitutionali, aut condylomatis aut psoriasi, esse correptos.

Quum autem haec symptomata nullo alio modo, nisi vulnere quodam (quod unde esset ortum facile erat intellectu) effecta viderentur, et experimentis adhibitis demonstraturum se sperabat, symptomata secundaria esse contagiosa. Quem ad finem hominibus aliis affectis morbis, qui diu in nosocomio versabantur, ipse autem nunquam syphilide laboraverant, secretume latis condylomatis depromptum inoculabatur. Quod quum esset factum, viginti quinque diebus post in vulneribus cucurbita factis quatuordecim tubercula oriebantur, quae appellantur „eine diffuse schuppende Hautentzündung“. Duabus et quinquaginta diebus post institutam inoculationem in cute

ventris, pectoris, dorsi syphilois maculosa („ein makulöses Syphiloid") apparet, quam brevi post papulae et tubercula sequuntur.

Idem Waller in vulnera cucurbita facta pueri lupo affecti sanguinem puellae syphiliticae instillabat, triginta quatuor diebus post tubercula apparebant, quae serius vulneribus tegebantur, sexaginta quinque diebus post cutis inflammatio syphilitica gignitur.

Uterque puer postea angina, ulceribus tonsillarum, et membranae mucosae narium, condylomatis in arcu palatino et in ore laborabat, et cura idonea adhibita reconvaluit.

Quorum sanguine tum, quum cutis inflammatio in dies cresceret, aliis pueris inoculato, maculae syphiliticae nascebantur, quibus postea ulcera tonsillarum et angina faucium adjungebantur. Quae quum ejusmodi sint, Waller haec constare sibi persuasum habet:

„Syphilidis secundariae symptomatis iterum neque aliud quidquam nisi secundaria symptomata procreantur."

2. Non solum ulcere primario syphilis secundaria oritur, sed multis aliis modis potest effici. Etenim virus syphiliticum sanguine propagatur atque sic quidem potissimum lues generalis oritur, ut semper semperque sanguis contagio commutetur. Si sanguine cujusdam syphilide infecti quis intoxicatur et eo fit, ut sanguis ipse vel exsudata ex eo formata corpori inoculentur, et eo, ut infans in utero matris inficiatur, denique et secretis et excretis, cum solidis tum fluidis in vita familiari, coitu etc. intoxicatio potest effici.

Symptomata autem sic orta multo majorem praebent vim, si quod vulnus adfuit, ac si virus in alienum corpus

transfertur, itaque saepius observatur, nutricem ab infante, at non matrem, amatorem, at non maritum a femina infici. —

Quibus a Wallero propositis atque in medium prolatis quum omnis Ricordii de syphilide doctrina negata ac refutata videretur, ut illius sententiam rejiceret, illum false ac perverse observasse comprobare studuit: itaque semper ulcus primarium adfuisse contendit, quod non inventum et non satis certo cognitum sit; nullius esse momenti, quod aegroti aut eorum agnati narraverint et si ex aegrotorum narratis aliud comparuerit, ac quod Ricordio placet, mentitos illos ac fefellisse supponit; speculum unicum esse judicem, ceterum autem adjungit, et in vagina et in cervice uteri nullam ulceris syphilitici cicatricem remanere.

Videmus igitur a Ricordio omnia fere esse allata, quibus medicus falli possit, at tali modo adversarius non refutatur, ut ubi alter condyloma viderit, alter ulcus adfuisse affirmet, utrumque enim rerum esse posse patet.

Quod attinet ad experimenta in sanguine symptomatum secundariorum instituta, non satis cautum esse Ricord censet, quominus loca in quibus erat pus inoculatum, non aliis tangerentur secretis, idque in nosocomio syphilitico non solum perfacile fieri posse, sed etiam quotidie observari.

At hac in re Ricord omnino oblitus erat, puerum illum in alio conclavi fuisse. Postquam denique contendit, omnia ea, quae inoculatis secretis orta esse Waller descripserit, nihil aliud fuisse, nisi indurata ulcera quae sequi symptomata secundaria necesse fuerit, Ricord

lectoribus dijudicandum permittit, num pugnam suam Pragensem secundo Marte pugnaverit.

Praeter Wallerum apud nostrates Simon Ricordii doctrinam vehementer impugnavit: Ricord posuerat, si gonorrhoeam quandam symptomata secundaria secuta essent ulcus larvatum semper in urethra adfuisse; Simon autem etiam nullo ulcere gonorrhoeam luem generalem procreare posse affirmat; constat vero, etsi saepius secretum blenorrhagicum corpori inoculatum esset iique aegroti observati accuratissime essent, nunquam luis generalis symptomata esse orta.

His si adderes, secundum Suchanekium 10% non ut Ricordio placuit 1% ulcere urcthrali laborasse, dubium jam nullum est, quin symptomata illa secundaria semper ulcere urethrali sint procreata. Deinde Simon nonnunquam fieri contendit, ut homines qui ante nullo primario ulcere laboraverint, viro syphilitico resorpto lue generali sint affecti (Vérole d'emblée); ita maritum quendam, narrat, surrepente bubone, qui dicitur d'emblée affectum esse, ejusque uxorem brevi post lue generali correptam esse. Non autem symptomata secundaria ipsa esse contagiosa, sed etiam diathesi syphilitica, etsi quis prorsus integer videatur, luem posse transferri, ita saepe uxores innocentes a maritis libidinosis esse infectas, qui prorsus sani visi sint. — Si autem omnino medico haud magni momenti esse potest, quod ab ipso aegroto de morbi origine et causa narretur, hoc in syphilide praesertim valet, quapropter Ricordio assentimus, qui majorem ulceris syphilitici fidem esse habendam quam aegrotorum sermonibus censeat.

Nolumus omnia experimenta accuratius describere, quae praeter Wallerum imprimis Vidal, Wallace, Rienaecker, Cazenave instituere, sufficiat afferre, omnes illos autores experimentis demonstrasse se affirmare, symptomata secundaria esse contagiosa. Qui quum secretum, ex ulcere secundario depromptum non aegrotis solum sed aliis quoque iisque sanis inoculavissent, Ricordio hoc imprimis objecerunt: ejus experimenta utpote in aegroto ipso instituta nullius esse momenti, nihil eis esse probatum, quoniam virus syphiliticum in homine jam syphilitico omnem agendi vim perdidisset.

Quae quum ita sint jam dubium vix ullum esse possit, quin syphilis secundaria sit contagiosa, nisi permultis experimentis eodem modo institutis contrarium probatum sit.

Ita v. Baerensprung affert, saepenumero se secretum ex ulceribus cutis et pharyngis hominibus in oculavisse, semper autem fere nihil effectum eo esse, aut ortam esse pustulam, quae mox exsiccata neque ulcus neque cicatricem reliquerit.

Tum Robert quatuor observationibus clinicis et tribus inoculationibus demonstrase se narrat, syphilidem secundariam minime esse contagiosam; ita homines psoriasi vel doloribus osteocopis vel condylomatis affectos coitum saepius exercuisse, neque umquam eorum uxores infectas esse Idem quum secretum cum ex ecthymate secundario tum ex ulcere tonsillarum depromptum et sibi ipsi et aegrotis, denique semel feli inoculasset, effectum quidquam umquam esse negat.

Cullerier, qui praecipue ad nutricem et infantem spectabat, narrat, quinque infantes, qui a puellis nutrirentur syphilide laborantibus non esse infectos, neque ullam de sex nutricibus esse aegrotam factam, quamquam infantes nutrirent, qui condylomatis latis et ulceribus labiorum et linguae laborarent. —

Jam denique describere experimenta volumus, quae ad hunc finem in nosocomio Gryphiswaldensi ab Ill. Pohlio ante compluria semestria instituta sunt. Secretum ex ulceribus pharyngis et condylomatis latis in antibrachio et in crure cum hominibus jam syphilide laborantibus tum studioso cuidam, qui sponte se obtulerat scalpello inoculabatur. Aliquot diebus post in uno aegrote inoculato pure nihil vidimus effectum, in altera aegrota et in antibrachio illius studiosi pustula parva oriebatur, quae paullo post, etsi nihil remedii adhibebatur evanescebat; semel autem ex orta pustula ulcus formabatur, quod quum crescere in diem et altius fieri videretur, lapide infirnali exstinguebatur. Aegrota autem illa una cum permultis aliis syphilide laborantibus in eodem conclavi versata erat, quapropter fieri facile potuit, ut alinde locus inoculationis pure oblineretur.

De omnibus illis experimentis in eundem finem institutis quid sit judicandum priusquam explicemus, de alio infectionis modo pauca afferre opus est, qui medicis forensibus summi est momenti.

Notum est, ante complures annos medicum quendam forensem Bavaricum esse condemnatum, quod „veneno corpus violasset“, syphilidem enim vaccinatione propagasse putabatur. Quod quum fieret eo tempore, quo summa

contentione de contagiositate syphilidis secundariae certare medici coepissent, mirum nullo modo erat, et de hac re in utramque partem maximopere disputatum esse. Altera autem medicorum pars syphilidem vaccinatione transplantari posse negabat, altera affirmabat; si virus vaccinae cum veneno syphilitico jungeretur, vim ejus et contagiositatem augeri. Jam nunc constare videtur, vaccinationem eodem effectu fieri et in syphiliticis et in integris. Maximi certe momenti esse putamus experiri quid oriatur, quum pus e vaccina hominum, quos syphilide laborare scimus, transferatur in alios plane integros; ab illo autem experimento instituendo quis non abhorreat. Attamen Cullerier et Ricord id fecerunt, qui quidem quum et infantibus sanis et adultis integris pus e vaccine infantium syphilide laborantium inoculavissent, syphilidem vaccinatione non transferri posse demonstraverunt. —

Memoravimus jam supra et qui contagiosam esse syphilidem secundariam affirmarent et qui negarent eisdem experimentis institutis contraria invenisse. Utrique putabant, inoculationem unicam esse viam ac rationem explorandi, illo experimento solo probari posse, num sit syphilis secundaria contagiosa necne. Non autem semper necesse est, ut inoculatio aut spontanea fiat, aut a medico instituatur, qua morbus ab altero homine in alterum transferatur, nonne enim notum est, et hereditate syphilidem propagari, ac secundariis quidem symptomatibus, infantes infici?

Patet igitur alio quoque modo luem transferri posse, quod si experimento inoculationis (quod unicum nobis

adhuc praesto est) probare nequimus negandum tamen nullo modo est.

Omnino autem de eis quae inoculatione aut probata aut improbata sunt, perverse mihi a permultis judicatum esse videtur; non enim tam est spectandum, ut secreto inoculato in illo ipso loco ulcus quoddam oriatur, quam ut symptomata generalia efficiantur.

Idem Ricord quoque concessit:

„Le chancre ce n'est pas la Vérole! — "

Quamquam igitur per aliquot annos summo studio de nostra quaestione est certatum, quamquam experimenta permulta eaque non levia sunt instituta nihil constare videtur, ac tamen saepissime a medico in vita hominum familiari postulatur, ut hac de re judicet. Ponimus: ulcere quis syphilitico primario laboraverat, a medico cura instituta pro sanato dimissus erat; aliquot mensibus post quum in eo esset, ut uxorem in matrimonium duceret, symptomata secundaria (psoriasis vel condylomata) veniunt in adspectum. Medicus nunc interrogatur, num liceat ei uxorem sumere necne. Hoc in casu utrique et qui contagiositatem affirmant et qui negant, vetabunt: alteri propter feminam, propter infantes alteri. —

At aliae etiam difficultates in tractanda nostra quaestione accedunt; quemadmodum enim ipsa illa infectio fiat plane ignoramus, atque unum et semper eundem inficiendi modum esse minime constat. Ricord quidem semper ita fieri persuasum sibi habet, ut scalpello inoculatio instituatur, ac Sigismund cute non violata virus syphiliticum nunquam resorberi posse putat; qui quum linteolum ulceris syphilitici secreto oblitum imer praepu-

tium et glandem vel inter nymphas posuisset, numquam aliquot horis post ulcus ortum esse vidit.

Quid vero nonne infectio in coitu varia est et multiplex? Quis enim ignoret, ex eodem fonte et gonorrhoeam et ulcus et condylomata manare posse? Praeterea autem suntne alia quoque symptomata, quae coitu quidem non autem scalpello possunt transferri?

Ulcere quendam laborare ponimus, pus inde depromptum alii inoculatur: si ulcus oritur, tum dubium nullum est, quin ulcus syphiliticum revera adsit; sin autem pure inoculato nihil efficitur, quod saepenumero fit, tum non licet arbitrari, ulcus syphiliticum non adesse, nec posse alios eo infici, sed tantummodo pus illius ulceris non esse inoculabile.

Patet igitur, solo inoculationis experimento instituto minime dignosci posse, utrum syphilidis symptomata adsint necne. —

Haud minus difficile ad dijudicandum videtur, quum infectio syphilitica hereditate fit; quod quemadmodum fiat, nescimus, eoque difficilius est, quod qui contagiosam syphilidem secundariam putent, symptomata hereditate acquisita etiam contagiosa esse arbitrantur. Quam multi autem ac varii casus in hac re possunt incidere! Ita narrat Ricord: homo quidam prorsus sanus cum uxore integra infantes procreat syphilide affectos: uxoris autem amator quum syphilide laboraverit, ovulum spermate infectum esse apparet. Vidal hocce vidit: femina quaedam sana cum marito syphilitico infantem procreat syphiliticum; dein postquam, marito mortuo, alteri prorsus sano nupsit, infans primus ab ea partus item syphi-

lide laborabat. Quod unde factum sit, Vidal physiologia comparativa probari posse putat; non enim ovulum foecundatum solum, sed ovarium ipsum aliquamdiu infectum esse, etiamsi spermatozoa a diversis hominibus appropinquentur. Ita equa a zebra foecundata equulum paruit striata pelle tectum; deinde autem postquam multis aliis equis est tradita equulos quoque procreavit zebrae similes. Eodem modo mater quaedam, quae ante syphilide laboravit, etiamsi nunc prorsus sana videatur ejusque maritus numquam fuerit aegrotus infantes parit syphiliticos.

Imo erant etiam, qui putarent, ovulum a sanis parentibus ante foecundatum infici posse, quum pater serius syphilide infectus esset: quod fieri mihi non posse videtur, nisi mater quoque infecta sit. — Ceterum permulta de hac re sunt narrata, quae vix credere possimus, complectentibus autem omnia et perscrutantibus quae sunt observata constare haecce videntur:*) Et a patre et a matre syphilis potest in foetum transferri, attamen aut ambos aut alterum lue laborare tum necesse est, quum fit generatio.

Si mater morbo corripitur postquam jam concepit, patre sano, infans raro lue laborat, si mater fuit aegrota, quum conciperet, foetus semper inficitur; si pater est aegrotus tempore generationis infans semper lue hereditaria laborat: foetum igitur et sanguine matris et spermate patris infici posse patet. —

---

confr. v. Baerensprung etc.

In enumerandis et experimentis et observationibus clinicis saepe fieri narratum est, ut ab infante nutrix, a nutrice infans inficiatur, qua in re spectandum hoc potissimum videtur, utrum symptomata secundaria revera adsint, an (uti in conceptione semen et sperma) lac et saliva fons infectionis sit habendus. Lacte autem et saliva minime probatum est luem transferri posse; ipsis autem symptomatibus infantem a nutrice ab infante nutricem infici posse alteri multis exemplis firmatum censent, alteri omnino negant. Quapropter ut dijudicari possit, quid de hac re sit statuendum, alia instituantur experimenta opus est, nihil enim adhuc exemplis illis quamvis multis constare mihi videtur, quum Ricord aliique haud minus saepe factum esse contendant, ut infantes lue infecti a parentibus syphiliticis procreati ad unum usque annum a puellis nutrirentur neque unquam puellae essent affectae: Ponamus autem: puella, quam aegrotam scimus, nutrit infantem sanum, etsi ambo ab initio usque ad finem accuratissime observantur, nulla fit intoxicatio — hoc certe majoris est momenti, quam si nutricem et infantem simul invenimus aegrotantes ac concludimus, ab altero alterum esse infectum.

Tum enim, ubi nihil effectum est, causam abfuisse video, ubi autem effectum aliquid video, valde dubium esse potest, quae sit causa et origo. Ita et infanti et nutrici accidere permulta potuere, ac si aegrotare utrumque videmus, quis sciat, ab utro infectio exierit. —

Jam vero quum et experimenta instituta et observationes clinicas et ea conferimus, quae ab utraque parte de illis disputata ac disserta sunt, eo ducimur, ut syphi-

lidem secundariam contagiosam esse negemus. Utrosque videmus eodem modo peccasse, utrosque nimio studio ac nimia spe incensos, ut extrema concluderent inductos esse: jam enim Anzias Turenne leges ferre intendebat, quibus syphilisatio eodem modo quo vaccinatio juberetur, quum Cazenave Simon Vidal a. q. secundariis symptomatibus syphilidem propagari posse tali modo contenderent, ut horrore omnes corriperentur. Ricord in eo potissimum peccasse videtur, quod infectionem semper eodem modo fieri censuerit, quo ipse aut scalpello aut alia experimentandi methodo syphilidis symptomata produxerit. —

Qui contagiositatem statuunt et qui negant, quamquam eadam indagandi ratione ac methodo usi sunt contraria invenerunt: quod unde factum sit, ignoramus, at antequam contagionistae non novis experimentis ac praesertim novis indagandi methodis demonstraverint, secundaria symptomata revera esse contagiosa, ulcus primarium syphiliticum alterum luis constitutionalis fontem, alterum generationem esse persuasum nobis habemus, ac discernimus syphilidem primitivam et hereditariam. —

VITA.

Natus sum Paulus Meurer, fidei addictus evangelicae Grunebergii, patre Friderico, quem jam diu morte mihi ereptum valde lugeo, matre e gente Rauh, quam huc usque vivam omni, qua decet pietate colo.

Primis literarum elementis imbutus in scholam latinam orphanotrophei Halensis receptus sum eamque per septem annos frequentavi.

Maturitatis testimonio munitus tempore paschali anni 1849 numero civium instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus sum et per quator semestria hisce interfui lectionibus:

Ill. Werder: de logice et psychologia.

Cel. Preuss: de historia.

Beat. Hecker: de encyclopaedia et methodologia medica.

Beat. Lichtenstein: de zoologia.

Beat. Link: de botanice, de historia naturali generali, de cryptogamis.

Beat. Weiss: de mineralogia.

Ill. Dove: de physice.

Ill. Mitscherlich sen.: de chemia anorganica, de pharmacia.

Beat. Schlemm: de osteologia, de splanchnologia, de syndesmologia.

Beat. Joh. Mueller: de anatomia, de anatomia organorum sensuum, de physiologia, de anatomia comparata.

Ill. Mitscherlich jun.: de materia medica.

Cel. Troschel: de fracturis et luxationibus, de fasciis chirurgicis rite adligandis.

In cadaveribus dissecandis duces mihi fuerunt:

Beat. Joh. Mueller et Beat. Schlemm.

Relicto Berolino Herbipolin profectus sum ibique adfui scholis:

Ill. de Marcus: de Phathologia et therapia speciali de auscultatione et percussione.

Beat. de Textor: de instrumentis chirurgicis.

Ill. Virchow: de phatologia et therapia generali una cum anatomia pathologica generali, de anatomia pathologica speciali et de morbis endemicis.

Ill. Scanzoni: de arte obstetricia, de morbis feminarum.

Ill. Scherer: de chemia organica.

Studiis deinde per tria semestria interruptis almam Gryphiam petii et ab Ill. Vogt, Rectore magnifico, civibus academicis adscriptus per quatuor semestria has scholas frequentavi:

Ill. Bardeleben: de chirurgia et generali et speciali de akiurgia, de ophthalmiatrice, idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis.

Ill. Haeser: de historia medicinae.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Exp. Ziemsen: dux mihi fuit in exercitationibus practicis de diagnostice physica.

Cel. Pohl: de syphilide.

Denique in clinico chirurgico et ophthalmiatrico:

Beat. de Textor et Ill. Bardeleben, in clinico medico Ill. de Marcus et Ill. Niemeyer, in clinico obstetricio Cel. Eichstedt duces mihi fuerunt.

Tentaminibus et philosophico et medico et examine rigoroso rite superatis quum jam sperare liceat, fore, ut summi medicinae chirurgiae et artis obstetriciae mihi tribuantur honores, omnibus his viris. optime de me meritis, gratias agere maximas, valde juvat, semperque eorum memoriam pio gratoque animo servabo.

THESES.

I.

Morborum oculi therapia nulla nisi topica.

II.

In partu difficili utendum est Chloroformio.

III.

Syphilis numquam sanatur.

5463